



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1656**

§. 75. Et ait discipulis suis; sedete hic donec orem. v. 32.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

ipsis, ut creditur. Deum patrem ne deficiant omnino in fide, spe & charitate: & locum orationis describens Euangelista nominat villam Gethsemani ad radices montis Oliueti: interpretatur autem Gethsemani, vallis pinguium sive pinguedinum, in qua erat hortus aptus orationi & recollectioni; illuc ergo ingressus Christus tanquam in campum certaminis contra Sathanam, mortem, infernum, abiit in hortum ut satisfaciat pro criminis in horto commissio; ut ubi mors orta est ibi oriatur & vita; & ubi Adam primus est deuictus a diabolo ibi superetur iam diabolus ab Adam secundo.

**D**omine Deus, mundi Saluator, nescio quid aptius pro inchoando redempcio-  
nem negotio potuisses agere, quam inchoare ab horto & villa,  
pinguium valle, ut nimis ubi cuperat iniquitas contexi, eadem inciperet dissolui; sic a cogitatione inchoatur nobis peccatum, & in cogitatione  
adhibetur etiam primum remedium, vere tu es Saluator mundi, qui:  
vulnera nostra curas ex fundamento.

§. 75. Et ait discipulis suis; sedete hic donec orem. v. 32.

Indubie locum certum in horto monstrauerit discipulis suis, cum ista dixit: Vide autem hic anima mea & considera vulnus benignum Domini,  
& modum eius agendi humanissimum, non soles tu sic agere magnis rebus instantibus, tunc turbatis, nescis quid dicas aut agas: tunc familia tota, increpatur, & innocens, quae non peccauit, luit. Dominus autem tuus ait misericordia tua: sedete hic donec orem.

**O** Vere Saluator, non solum patiendo, sed & exemplo praelucendo, mitiga obsecro in me & omnibus qui alijs praesunt vehementiam perturbationum, ut cum suis filiis parentes, cum famulis Domini & Dominae, cum subditis suis superiores mansuetate agant, efficaciter quidem sed & rationabiliter, potenter, sed & clementer, non ut cum brutis, sed ut cum imaginis divinae confortibus, quia iustus etiam novit animas iumentorum suorum.

§. 76. Donec orem. v. 32.

Diligenter attende, anima mea, quid agat dicatque Dominus tuus, dum te & omnes redimere aggreditur ut videas quomodo ille dissoluat colligations iniquitatis, quas Daemon contexuit super genus humanum. Non solum dixit familiae sua mansuetissime sedete sed & adiecit donec orem: Venit mihi in mentem, quod gentilis sapiens, suasit alphabeti literas, itato esse recitandas antequam percuteret, hoc dictum scholæ mirantur:

Definite